

dita sibi, habet partes entitativas, tum ab inuicem distinctas, tum extra se inuicem positas, atque impenetrabiles, itavt uniantur ad constitutionem totius integræ materiæ, & naturaliter una ponatur extra aliam, vt de facto videtur in homine, caput esset extra pedem, & è contra, quod idem dicitur de alijs membris, atque adeo extensionem habet, & dimensionem, & quælibet pars naturaliter suum locum petit, a loco alterius partis distincto; ergo talis materia vnita formæ spirituali, compositum spirituale faciet, per consequens compositum ex materia & forma spirituali non repugnabit.

Respondeo dicendo, verum esse materiam primam habere partes entitativas suas vnã extra aliam, sed non sine quantitate; & quia adducunt exemplum de corpore habente caput extra pedem, corpus non est materia tantum, sed compositum ex materia & forma, & illæ partes sunt tales, quia quantitate affectas partes essentielles corporis dicti supponunt; materia autem, vt materia est, substantia, vt substantia est, certum quidem esset non dicere quantitatem, at prout venit in compositionem, quantum includit, vt quãdam dispositionem ad faciendum vnum cum forma physica; vnde nego consequentiam.

28. Instabis. responsio, solum procedit de materia corporea, non autem de spirituali, qualis esset illa, quæ in composito spirituali reperiretur.

Respondeo, quod falsum est antecedens, procedit namque de materia aristotelica, quæ esset subiectum in illo composito spirituali, atque adeo potentia physica esset, vnũ per se faciens cum forma, & per consequens vnum corpus; corpus namque est totum id, quod ex materia & forma physica constat, quod semper inuoluit quantitatem, & immortale corpus in sententia illorum, qui volunt impenetrabilitatem provenire a quantitate, penetrabile esset, quia caretet quantitate, & nihilominus ipsi arguentes dicunt dictam materiam habentem partes extra partes impenetrabilitatem habere, & non alia via, nisi quia ipsi dicunt naturaliter materiam non posse esse sine forma; atque adeo nec sine quantitate, & corporeitate, quæ a quantitate provenit, sicut per ipsos impenetrabilitas.

29. Obijcies 4. supponamus quæso, dicunt aduersarij, quod vna pars materiæ non sit alia entitativè, vt g. manus non sit pes, tunc talis materia habet partes extra partes, nam vna non est alia, & constitutum pedis est distinctuum illius à manu, & e